

atque illorum uires : si diem proferimus et hesternae eru-<sup>20</sup>  
ptionis fama contemni desierimus, periculum est ne omnes  
duces, omnes copiae conueniant. Tres deinde duces, tres  
exercitus sustinebimus hostium quos Cn. Scipio incolumi  
exercitu non sustinuit? Vt diuidendo copias periere duces<sup>21</sup>  
nostri, ita separatim ac diuisi opprimi possunt hostes. Alia  
belli gerendi uia nulla est. Proinde nihil praeter noctis  
proximae opportunitatem exspectemus. Ite, deis bene iuuan-<sup>22</sup>  
tibus, corpora curate, ut integri uigentesque eodem animo in  
castra hostium inrumpatis quo uestra tutati estis.'

Laeti et audiere ab nouo duce nouum consilium et quo<sup>23</sup>  
audacius erat magis placebat. Reliquum diei expediendis  
armis et curatione corporum consumptum et maior pars  
noctis quieti data est. Quarta uigilia mouere. Erant ultra<sup>39</sup>  
proxima castra sex milium interuallo distantes aliae copiae  
Poenorum. Vallis caua intererat, condensa arboribus; in  
huius siluae medio ferme spatio cohors Romana arte Punica  
abditur et equites. Ita medio itinere intercepto ceterae<sup>2</sup>  
copiae silenti agmine ad proximos hostes ductae et, cum  
statio nulla pro portis neque in uallo custodiae essent, uelut  
in sua castra nullo usquam obsistente penetrauerunt. Inde<sup>3</sup>  
signa canunt et tollitur clamor. Pars semisomnos hostes  
caedunt, pars ignes casis stramento arido tectis iniciunt,  
pars portas occupant ut fugam intercludant. Hostes simul<sup>4</sup>  
ignis, clamor, caedes, uelut alienatos sensibus, nec audire  
nec prouidere quicquam sinunt. Incidunt inermes inter  
cateruas armatorum. Alii ruunt ad portas, alii obsaepis<sup>5</sup>  
itineribus super uallum saliunt et ut quisque euaserat pro-